



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

12. Pietas erga parentes.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

rigas, omnia contrita sanas, omnia confusa lucidas, omnia desperata tu animas. S. Cyprian. de laud. pœn.

Petitio.

Concede mihi, misericors Deus, cor contritum & humiliatum, unâ cum fonte lacrymarum, quibus delicta mea plangam, nec unquam iterum plangenda committam; sed dignos pœnitentiæ fructus faciam, ne in æternum peream.

Aspirationes.

I. *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrysis meis stratum meum rigabo. Psal. 6. 7.*

II. *Ego peccator, Domine, dum tibi assisto, cur non corde paveo, vultu palleo, labiis tremo, toto corpore inhorresco, sicque abortis lacrymis coram Te indefinenter lugeo ob delicta mea? S. Aug. med. c. 34.*

III. *Cor contritum & humiliatum, da mihi Domine, & ne despicias illud.*

PASSUS XII.

Pietas erga Parentes.

TEXTUS.

*Honora Patrem & Matrem,
ut*

ut sis longævus super terram.
Exodi c. 20. 12.

Cognitio.

Pietas est virtus, quâ iis, qui ortûs & educationis nostræ sunt principium, & aliis sanguine junctis ac patriæ, debitum cultum & officium tribuimus. Extenditur etiam ad Patres spirituales.

Actus.

1. Parentum conditionem non erubescere.
2. Eisdem timere, revereri & honorare.
3. Illos amore prosequi.
4. Obedientiam debitam illis præstare.
5. Victum, aliâque necessaria, si indigerint, illis subministrare, ac periculo eripere.

Consideratio.

Permoveat te, anima mea, ad debitam erga parentes pietatem I. Mandatum Domini: *Honora patrem & matrem.* II. Vitæ longævæ promissum. III. Gratitude ob plurima beneficia. IV. Supplicium & pœna, si neglexeris: est enim *maledictus à Deo, qui exasperat matrem.* Eccli. c. 3. 18. Et quis maledictionis divinæ fulmen non reformidet?

Petitio.

Domine IESU , qui nos patrem & matrem honorare præcepisti , exemploque tuo nobis præluxisti , dum eis subditus fuisti ; & matrem tuam Joanni commendasti : da nobis , parentes & propinquos , ita secundum voluntatem tuam amare , honorare & colere ; ut dum justa præcipiunt , proximos noverimus ac diligamus ; Dum verò injusta exigunt , quos tanquam adversarios in via Dei experimur , odiendo & fugiendo nesciamus.

Aspirationes.

I. Audi , Fili mi , disciplinam Patris tui , & ne dimittas legem matris tue , ut addatur gratia capiti tuo. Proverb. c. 1. 9.

II. Honora tuos parentes , quia & DEI Filius suos honoravit ; Legisti enim : Et erat subditus illis. S. Ambros. L. 8. In Luc. c. 17.

III. Fac me Domine , parentibus amorem , honorem , & obedientiam præstare in omnibus tibi non contrariis : Amandus enim genitor , & proponendus Creator.

S. Aug. serm. 7. de Verbis Domini.